Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26040
Copyright: Admont, Benediktinerstift

nium essentias homo in se continet et adhuc uno quod optimum est rationabi-
litatis privilegio cuncta superat. Nam ut essentiarum incrementa manifestius pa-
teant, iam a principio mundanae huius creationis repetendum est. Firmamentum
dividens aquas ab aquis est quidem, sed ei esse soli ex omnibus sensibus visui subiectum est.
Terra vero est et ei esse visui simul et tactu comprehensum est. Luminaria sunt et esse illorum
et visui nostro et calore suo noscibile est, insuper et semper in motu est. In motu inquam lo-
cali, non simpliciter ut firmamentum, neque ut terra immotum mutabilium qualitate,
H sed in motu locali secundum duplicem modum. Nam et motu firmamenti cottidie circum-
feruntur, et praeter hoc sicut supra iam dictum est incessanter currendo propriis motibus in cir-
culos suos reflectuntur. Horum esse animantium essentia superat, quippe quae non solum nostris
subiecta sunt sensibus, sed et ipsa funguntur quinque sensibus, visu, auditu, gustu, odoratu,
et tactu. Homo tandem super haec omnia et super quinque sensus corporis hoc etiam habet quod ra-
tione utitur. Igitur in eo cum cuncta haec subiacent et qua dignitate praeest omnibus rec-
Ca. 2. te cuncta complacent et valde bona iudicantur. Bene non dictum est: Complevitque
Deus die septimo omne opus suum, sed complevit die septimo opus suum quod fecerat. Quoddam
opus suum, quoddam creaturam suam rationalem creaturam suam quam fecerat, requievit autem ab
omni opere suo quod patrarat. Ab omni inquam opere suo requievit, quia nulla deinceps no-
vam creaturae speciem fecit. Quoddam autem opus, id est angelicam creaturam iam tunc in hoc septimo
die complevit, in quo et ipse requievit, quandoque complebitur eodem die eadem felicitate
sapientiae perfectam, et ex illis duobus masculo et femina nascituram multitudinem
humani generis. Quae est enim completio creaturae rationalis, nisi visio aeternalis sive im-
mortalis claritatis huius diei? Eo namque tendit tota praedestinatio Dei, sicut his quos
praescivit tam hominibus quam angelis quicumque secundum propositum eius vocati sunt sancti, ut conformes
eos faciat imaginis filii sui, hac tamen differentia, ut ille qui unigenitus idcirco et pri-
mogenitus in multis fratribus sit. Ibi plane complet opus Dei, ubi isti postquam facti sunt eidem sunt
reformati. Hoc est principium et hic finis operis. Unde dicit ipse sic: Ego sum alpha et o, primus
et novissimus, initium et finis. In illo die suo tantum operari Deus requiescit, sanctos iam dudum an-
gelos participes habens suae requietionis. Illo namque in die firmati, illo in die re-
II C. 15 munerati, et in suo quisque ordine glorificati sunt. Consequens esse putant plerique
quod de angelorum ordinibus cunctis peccantes angeli ceciderint, quod nulla scriptura prodit.
Quasi vero aliud sit angelos sanctos firmari, aliud novem ordinibus distingui. Verbi gratia
Si antequam firmati fuissent electi spiritus illi iam erant alii throni, alii autem cherubyn
et alii seraphyn, quod post haec per firmamento acceperunt? Quid enim huic firmitati vel fir-
mamento potest adici, quod est incendium divini amoris, quod intellegitur per nomen sera-
phym? Vel inquam potest alius creata firmari, quam in eo ut sit thronus Dei? Ergo non an-
te quam caderent apostatae angeli iam erant ordines distincti, sed illis cadentibus isti